1266. Ex Libro Privilegior. Capituli Cracov.

Slavomirus miles recognoscit se vendidisse pro 18 marcis argenti agros permixtos, prata, pomeria, et jus tabernæ villæ Lososkowicze magistro Gerardo Canonico Cracoviensi, quam venditionem Dux admittit.

136

Noverint universi presentis temporis et futuri, quod coram nobis Boleslao Cracoviæ et Sandomiriæ Dei gratia Duce illustri Slavomirus miles noster constitutus Cracoviæ in Ecclesia Cathedrali publicè recognovit simpliciter et plenè se vendidisse pro decem et octo marcis argenti boni magistro Gerardo Canonico Cracoviensi terram, sive agros permixtos, prata, pomeriam, et ius tabernæ in territorio villæ Lososkowicze, quæ pater ejus Pancratius ex donatione Ducali fuerat assequutus, et ipse Slavomir ex paterna successione possidebat: et fassus est idem miles, quod pretium supradictum venditione hujusmodi facta recepit ad plenum, et quod dictum magistrum Gerardum in plenam possessionem prædictorum posuit abrenuntians pro se et suis successoribus omni jure prædictum contractum rescindendi, si quod unquam sibi competere posset in futuro. Et nos benigno favore nec non authoritate et assensu ex nostra parte concurrentibus presentem paginam in hujus rei testimonium sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Cracoviæ anno Domini millesimo ducentesimo, sexagesimo sexto, Idus Martii.